obligatus tunc idoneum obligatum, in solidum conveniri, & exigi pro non idoneo, ut colligitur ex dictis supra, n. 13. cum seq.

20 Quintus casus est, cum multi sunt obligati ex uno delicto ad salarium, veluti occisor, auxiliator, consilium dans ad homicidium perpetrandum, tenentur ad solvenda salaria Judicis delegati ad punitionem ejusmodi homicidii. Et dicendum est, isto casu omnes delinquentes, & delicti participes, & complices teneri in solidum, & conveniri posse idoneum pro non idoneo, compellique solvere expensas istas, & salaria. Ratio est, quia delictum non committitur pro parte, sed in solidum, *d. l. in depositi. 9. d. l. si duo hæredes, 22. ff. depositi, l. ita vulneratus, 51. in fin. ff. ad l. Aquil.* Ex quo fit ut omnes delicti participes & singuli ad pœnam in solidum teneantur. Ita probatur textu *l. item Mela, §. sed si plures, & §. si plures, ff. ad l. Aquil. l. 1. §. nunc tractemus, vers. plane, ff. tutel. & ration. distrah. leg. si multi, 6. ff. de public. & vectigal. l. qui servo, §. si duo, l. interdum, 56. §. si duo, ff. de furt. l. vulgaris, §. si duo ff. eod. tit. l. aufertur, §. si multi ff. de jure fisci, l. si plures, ff. arborum furtim cæsar. l. 2. C. de divid. tutel. l. 1. C. de condict. furt.* apud nos *l. 20. tit. 14. p. 7.* Notant Bartolus, & Doctores in istis locis, Boerius *decis. 310.* Bossius *variorum tractatuum, tit. de pœnis, n. 1.* Covartuvias *in regula peccatum, 2. par. §. 12. num. 2. 3. & 4.* Thesaurus *dec. 254.* Magonius *dec. Lucens. 27. num. 53. & 54.* Hieronymus de Laurentiis *decis. Avenionens. 112.* Tuscus *liter. D. conclus. 186.* Antonius Gomez *tom. 3. variarum, cap. 1. n. 86.* Julius Clarus *lib. 5. sentent. §. fin. quæst. 84. n. 7. &* ad eum Bajardus, Caballus *resol. crimin. cent. 2. casu 198.* Farinacius *in prax. crim. q. 167. n. 94.* Bovadilla *lib. 2. politicæ, cap. 21. n. 251.* & esse communem regulam testatur Natta *cons. 79. num. 9. & 10. vol. 1.*

21 Duo tamen sunt hac in re observatione digna. Primum est, quod tametsi multi delinquentes teneantur singuli in solidum ad pœnam delicti, & quod unus solvit alterum non liberet, ut dixit Jurisconsult. *in d. l. item Mela, §. sed si plures, ff. ad l. Aquil.* verum si plures ad interesse teneantur ex delicto, etiam si singuli in solidum debeant, & quisque possit per obligationem ex suo dolo contractam, in solidum conveniri, & exigi, quod unus solvit, liberat, alterum ut agnoscens hoc discrimen inter pœnam, & interesse, egregie notavit Glossa *in d. §. sed si plures, verb. pœna,* Joannes de Imola *in l. cum duo, ultimo, n. 4. ff. de duobus reis,* probat textus, quem citat *in l. 1. §. si plures ff. de eo per quem fact. erit, & in l. si duo, ff. depositi,* ibi: *Neque enim amplius actoris interest & in l. 1. §. si apud duos, ff. eod. tit. & in l. si ex duobus, 15. ff. tut. & ration. distrah. & in l. 1. C. de condict. furt.* apud nos *in l. 10. tit. 14. p. 7. circa fin.* docuit D. Th. 2. 2. q. 60. *art. ad 2.* quem sequitur Covarr. *in regula peccatum, 2. p. §. 12. n. 3.* quibus adde Anton. Gomez *lib. 3. variar. c. 1. num. 88. vers. ex quo infertur.* Ex quo rursus fit, ut si unus ex delinquentibus solvat salaria Judicis, & litis expensas, cæteros liberet. Nam obligatio solvendi salaria Judicis, & expensas processus criminalis, quamvis oriatur ex delicto, non tam reputanda est delicti pœna, quam interesse Reipublicæ & fisci, ad quem pertineret ista solvere, si delinquentes non essent idonei, juxta latius tradita à Peregrino *de jure fisci, lib. 5. tit. 1. num. 293. cum seqq.* Caballo *resolut. crimin. cent. 3. cas. 201. ex n. 21.* Bajardo *ad Julium Clarum, lib. 5. sentent. §. fin. q. 78. n. 169.* Petro Gerardo *singul. 14. num. 13.* Joanne Lupo *in repetit. cap. per vestras, §. 39. n. 6.* & ad eum locum Barahona, Avendano *de exeq. mandat. 2. par. cap. 10. n. 14. & seqq.* Hieronymo de Laurentiis *decis. 121. n. 5.* Afflicto *in §. bona committentium, n. 47. tit. quæ sint regalia, lib. 3. feud.* Thoma Sanchez *in summa lib. 2. cap. 22. num. 93.*

22 Secundum est, quod etiam si ex maleficio oriatur obligatio ad pœnam in singulis participibus delicti, quæ eos in solidum teneat, tamen quando crimen velari potest prætextu alicujus officii, idest quando delinquitur à multis in officio, & ex hoc delicto proceditur contra multos istos officiales in officio delinquentes, lex indulget illis beneficium divisionis ope exceptionis quoad exactionem pœnæ, mitiusque agit cum eis, quam cum aliis, quorum crimen prætextu officii velari non potest, qui non gaudent isto beneficio. Consistit autem ejusmodi beneficium in eo, quod singuli satisfaciunt, præstando partem pœnæ, si cæteri solvendo sint: si vero cæteri non sunt idonei, pro non idoneis, qui sunt idonei, conveniuntur. Ex quo rursus colligitur re vera singulos ipso jure teneri in solidum, alioqui non possent exigi in solidum, etiam aliis existentibus non idoneis, juxta *legem 1. C. si plures una sententia,* & ea, quæ dicemus in fine hujus numeri. Item colligitur hoc beneficium non concedi eis ipso jure, sed ope exceptionis dumtaxat. Hoc vero discrimen inter duplex istud delinquentium genus assignat Jurisconsultus *in dicta lege si multi ff. de publican. & vectigal.* dum ait: *Si multi publicani sint qui illicite quid exegerunt, non multiplicatur duplicis actio, sed omnes partem præstabunt, & quod ab alio præstari non potest, ab altero exigetur, sicut Divus Severus, & Antoninus rescripserunt: nam inter criminis reos, & fraudis participes multum interesse constituerunt.* Vocat *criminis reos*, eos qui delinquunt sine officii velamine; *fraudis* autem *participes*, eos qui prætextu officii delinquunt, ut interpretantur ibi Bartolus, Angelus, Imola, Comanus, Paulus, Romanus, deserta Glossæ sententia *in verbo, reos*, aliter interpretantis, ut textus significet, inter eos, qui soli, & eos, qui cum sociis delinquunt, discrimen esse, quasi textus dicat, *refert solus, an cum alio delinquas.* Idem continet textus, & ibi iterato notavit Bartolus *in l. aufertur. 46. §. si multi. ff. de jure fisci. Si multi* (ait) *fisco fraudem fecerint, non ut in actione furti singuli solidum, sed omnes semel quadrupli pœnam pro virili portione debent, sane pro non idoneis, qui sunt idonei conveniuntur.* Idem notat idem Bartolus *in l. qui in contractibus, 8. num. 2. C. de jure fisci, libr. 10.* & Franciscus Aretinus eum sequutus *in dicta leg. eandem n. 4. volum. 2. ff. de duobus reis.* Quod vero dicitur, *debere omnes pro virili portione*, non tam ad obligationem ipsam, quam ad exactionis modum refertur, ut paulo ante diximus, & docte animadvertit Paulus Castrensis *in dicta lege si multi, num. 2. in textu ibi* (inquit) *Sed omnes partem præstabunt, intellige, quod quilibet tenetur in solidum, & condemnatur in solidum cum hac modificatione, quod una solutio sufficiat, & post latam sententiam si sunt omnes solvendo, quilibet exigitur pro parte, alias non procederet, quod sequitur in sequenti versiculo, quia si quilibet teneretur pro parte, vel condemnaretur pro parte, altero eorum reperto non solvendo, alter non teneretur pro illo, ut lege legatorum, in princip. ff. de legat. 2. & de aliment. & cibar. legat. l. solent, in fine:* Hactenus Paulus. Eamdem doctrinam tradit Franciscus de Claperiis *causa 62. quæstione 4. num. 3. & 4. & causa 104. quæst. unica, num. 2. & 4.*

23 Sextus casus est, cum multi sunt obligati ad solvendum salarium Judicis alicujus, ob multa, & diversa delicta; puta deputatur Judex ad punienda varia, & diversa delicta, jubeturque ei, ut distribuat salarium ipsi designatum inter multos reos, contra quos procedit, atque ut id ab eis exigat. Quo casu dicendum est, singulos in solidum teneri ad solvendum integrum salarium, & conveniri posse idoneos pro non idoneis, exigique pro illis. Idque probatur aperte, quoniam ex multis delictis multi delinquentes tenentur singuli in solidum, ad pœnam, *leg. si quis id quod. §. hoc vero edicto, cum l. adeo sequenti, & l. si familia, ff. de jurisd. om. Judic. l. item Mela, §. sed si plures, lege ita vulneratus, in fine, ff. ad l. Aquil. l. vulgaris, §. si duo, ff. de furt. l. si plures, ff. arborum furtim cæsar.* notat Alexander *in dicto l. si quis id quod, n. 12.* Paulus *n. 14.* Decius *n. 45.* Jaso *n. 39.* Bartolus *in d. l. si familia, n. 12.* Baldus *n. 6. in 2. lectur.* Angelus *n. 1. & 2.* Paulus *n. 1. & 2.* Romanus *in principio*, Socinus *num. 6. & 10.* Decius *num. 2. 15. & 18.* Innocentius *in cap. sicut dignum, n. 5. de homicidiis,* Cynus *in l. is qui debitorem, num. 7. & 8. ff. ne quis eum, qui in jus vocat. vi exim.* Marianus Socinus *in d. cap. sicut dignum, num. 16. & seqq.* Antonius Gomez *tom. 3. variarum, cap. 1. n. 88.* Caballus *resolution. crimin. casu 198. n. 9. & 10.* idque manifesta ratione. Si enim multi, qui ad unum delictum concurrunt, tenentur singuli in solidum ad pœnam, & interesse, ex eo quod delictum non potest pro parte committi, sed committitur in solidum, ut diximus supra, num. 13. 14. & 20. multo magis id locum habebit, cum delinquentes in delicto non communicant, sed singuli per se, & separatim delinquunt: nulla enim tunc excusatio esse potest, ne contrahant in solidum reatum pœnæ delicto impositæ. Si igitur unusquisque ex multis istis delinquentibus ad pœnam in solidum obligatur, in solidum quoque obligabitur ad omne id, per quod ad istam pœnam devenitur, cum non possit reddi major ratio unius, quam alterius, argumento *l. oratio. ff. de sponsalibus.* Nam cum in maleficiis qualis qualis reperiatur consensus ad pœnam, *leg. Imperatores, ff. de jure fisci,* Paulus Castrensis *in lege omnem obligationem, 20. ff. de judiciis,* & ibi Doctores post Glossam *in lege 1. §. bestias. ff. de postulando, in verb. honorari,* Tuscus *liter. A. conclusion. 15. num. 5. & 11.* & qui vult consequens, velit etiam antecedens, & è contra, *leg. illud. ff. de adquirend. hæred.* Molina *de primogen. lib. 4. cap. 5. num. 2.* Mantica *de conjecturis ultimarum voluntatum, libr. 8. titul. 1. num. 32.* ex iis enim, quæ inter se sunt connexa, non potest admitti unum sine altero, *leg. 1. ff. de jurisdiction. omnium Judicum,* plane fit, ut qui se ad pœnam per maleficium obligat, eique se subdit, obliget quoque se ad expensas processus, qui fieri solet, & debet ad maleficium puniendum, ac per consequens singuli ex multis delinquentibus incurrunt obligationem in solidum solvendi expensas salariorum officialium, qui contra ipsos procedunt; ratione cujus obligationis jure posset Regium Consilium delegare Judices diversos, quorum singuli adversus singulos malefactores procederet: clementer tamen facit cum justam suam potestatem moderatur, ne tam magnis expensis delinquentium patrimonium consumat, eosque sumptuum magnitudine vexet, ac conficiat, & unum Judicem dat ad puniendos multos malefactores, & multa delicta, ut sumptus inter se dividant: id vero non tollit, quin singuli in solidum sint obligati, quemadmodum erant obligati à principio ex ipsa natura negotii.

24 Ex quo rursus fit, ut possit Judex à quocumque ex istis delinquentibus sua salaria exigere, cæteris existentibus non solvendo. Etenim quando multi sunt in solidum obligati, & se habent velut multi rei debendi, in solidum exigi possunt, nisi omnes sint idonei; tunc enim inter eos dividitur exactio, alioqui unusquisque potest pro non idoneo conveniri, & exigi, ut diximus supra n. 9.

25 Ex quo autem capite proveniat delictorum individuatio (loquendo more metaphysicorum) idest, ut delicta sint multa, vel unum, lege Bartolum, & Doctores *in dicta leg. si familia, ff. de jurisdictione omnium Judicum,* ubi late, Covarruviam *lib. 2. variarum cap. 10. num. 8.* Boerium *decision. 219.* Cardinalem Tuscum *liter. D. conclusion. 159.* Menochium remissive *libr. 2. de arbitrar. Judic. centur. 6. casu 591. in principio.*

26 Declaratur tamen primo hæc resolutio, ut procedat quando Judex simul & eodem tempore exercet suam commissionem contra multos delinquentes; tunc enim poterit ab unoquoque altero existente, non solvendo sua integra salaria exigere: secus esset si diversis temporibus procederet adversus eos: nam salarium ejus temporis, quo Judex processit adversus eum, qui idoneus solvendo non est, & non adversus idoneum, non poterit exigere ab idoneo. Ratio est, quoniam obligatio in solidum solvendi salaria in istis duobus delinquentibus, non complicibus, etiam si ex delicto oriatur, quod singuli commiserunt in solidum: pendet tamen à concursu processus, & expensarum; nam nisi adversus eos procedatur, simul unus non debet quod attinet ad expensas alterius, quod plane docet textus *in leg. si multi, ff. de public. & vectigal.* secundum interpretationem Glossæ ibi, verbo *reos*, quæ constituit discrimen inter eos, qui soli, & eos, qui cum aliis delinquunt, ut in illis non teneatur unus pro alio: in istis vero contra res se habeat. Estque id conforme regulis juris vulgatis: nam unus pro debito alterius non potest conveniri, *C. ne uxor pro marito, & Cod. ne filius pro patre* in rubricis, melior textus de jure *in lege unica, C. ut nullus ex vicaneis, libro 11. Grave est* (ait Imperator) *non solum legibus, verum etiam æquitati naturali contrarium, pro alienis debitis alios molestari, cap. unico, de injuriis, & damno dato in sexto, l. 15. tit. 10. par. 7. l. nullam, C. de exequutoribus, lib. 12.* Cassiodorus *variarum, lib. 4. epistol. 10.* notavimus supra hac eadem disputatione, n. 6. in fine. Ergo ut possit ab idoneo exigi salarium non idonei, necesse est, ut simul fiat processus adversus idoneum; alioqui non poterit debere idoneus expensas, quas solus non idoneus separate causavit. Quod ex eo quoque confirmatur, quoniam si Judex processit adversus idoneum, & eum condemnavit, & condemnationem exegit, post sententiam autem processit adversus inopem delinquentem, injuste exiget expensas processus ab idoneo jam punito, & pœnæ suæ solutione purgato; ut igitur possit juste exigere salaria, & expensas à malefactore idoneo, necesse est, ut simul & eodem tempore adversus idoneum, & non idoneum procedat. Quod non est accipiendum, ita ut omnibus horis, & momentis, diebus, ac noctibus sit simul procedendum adversus omnes reos, ut sit justa ista exactio, de qua loquimur, quod esset captare verba, & ea judaice accipere, ut eleganter notat alio in proposito Bartolus *in lege quominus, numero 11. ff. de fluminibus,* sed intelligenda sint humano, & civili modo: ita inquam, ut cum adversus unum inquiritur, processus adversus alterum non penitus quiescat, sed vel inquiratur adversus eum, vel admittatur ad probationem, & dilatio simul currat, vel aliquis alter articulus processus formetur; ita enim fit, ut simul utriusque delinquentis processus incrementum accipiat, quod satis est, ut ex doctrina Bartoli *in dicta lege quominus, n. 11.* colligitur.

Declaratur secundo, hanc resolutionem intelligendam 27
esse eo casu qui frequens est, juxta usum nostri Regni, videlicet, quando Judici designatur idem salarium quotidianum, sive procedat adversus unum, sive adversus plures reos: tunc enim hoc salarium exigere potest ab idoneo pro non idoneis, contra quos simul processum formatur juxta superius dicta, & in hoc militant rationes adductæ ad eam resolutionem comprobandam; secus esset, si Judici designaretur quotidianum salarium quingentorum nummorum, verbi causa, ut procederet adversus Joannem, qui quidem erat idoneus, & aliorum quingentorum, ut procederet adversus Petrum, qui non erat solvendo: hoc enim casu ex bonis Joannis non posset exigere illud salarium, quod illi designatum esset ex bonis Petri, & ratione processus facti contra Petrum, ne Joannes solveret quod Petrus debet; id enim esset omnibus modis iniquum, ut diximus numero præcedenti.

Septimus casus est, cum multi sunt obligati ad solven- 28
dum salarium Judicis alicujus ex secundaria obligatione multorum contractuum; videlicet, quoniam multi contrahentes incurrerunt moram solvendi suis designatis temporibus; ob quorum moram Judex aliquis deputatus est ad omnia ista debita orta ex diversis contractibus exigenda; & iste est casus, de quo dubitatum est; quoniam commissiones illæ, quas multis annis in Regia Curia exercui, datæ sunt ad exigenda multa debita orta ex diversis contractibus, & obligationibus, in quarum solutione singuli contrahentes morosi fuerunt: liceat enim id verbum ex mora deducere, & eo ad significandum eum, qui in mora fuit uti. In quo casu simili modo dicendum est, posse Judicem delegatum ad ejusmodi debita exigenda exigere salarium à quocunque ex istis debitoribus idoneis, cæteris existentibus non solvendo. Ratio est, quoniam etiamsi cæteri debitores non essent morosi, justissimè procederetur adversus morosum idoneum, & ab eo exigeretur salarium ordinarium Judicis delegati, & officialium ejus. Ergo non debet esse deterioris conditionis Judex, & ejus officiales, quoniam illis multa negotia committantur, & major labor & onus eis imponatur quoad suorum salariorum exactionem, quæ tanto difficilior, & deterior redditur, quo in plures debitores dividitur, *l. cum ii, §. causæ, ff. de transaction. l. plane, ff. famil. erciscund.* notat Thesaurus *lib. 1. quæstionum forensium, quæst. 19. num. 2.* ut ideo amittant partem salarii, quam non idoneus erat soluturus, aut exigant ab ipso creditore, qui similiter non minus juris habet ad exigenda salaria officialium deputatorum ad sua debita exigenda ab ipsis morosis debitoribus, velut expensas necessarias exactionis, & verum interesse, quoniam multi sint morosi, quam si unus esset dumtaxat morosus; esset que maximum incommodum, posse creditorem, qui unum solum debitorem habet morosum, ab eo exigere integras expensas exactionis sui debiti: ex eo vero, quod habeat plures debitores morosos, non posse easdem integras expensas exigere, præsertim cum non sint majores expensæ necessariæ ad exigenda multa, quam ad exigendum unum debitum: sed cum damno multarum morarum solutionis debitorum suorum, sentire quoque damnum solutionis partis expensarum, quam solvere deberent debitores non idonei: fieret enim inde plane, ut multiplicata debitorum culpa in damnum juris creditoris redundaret, & unus debitor ex alterius debitoris culpa relevaretur à damno, contra duo juris principia, alterum in textu *leg. si sequens gradus, ff. ad Syllaniam in l. non debet alteri, ff. de regul. jur.* & contra naturalem ipsam rationem, quæ sine ulla constitutione sufficit ad causas decidendas, *l. scire oportet, 13. §. sufficit, ff. de excusat. tutor.*

Est autem hujus conclusionis eadem ratio, & fundamen- 29
tum, quod casus præcedentis; nam quemadmodum multi delinquentes, qui non sunt complices unius delicti, in solidum obligantur singuli ad sui delicti pœnam, & ad expensas

pensas processus punitionis eorum, quo fit, ut si simul, & eodem tempore adversus ipsos procedatur, possit ab unoquoque in solidum exigi cæteris existentibus non idoneis: ita prorsus similiter multi debitores morosi, qui neque unius obligationis, neque unius moræ, (quæ culpa est) participes sunt, obligati sunt in solidum ad solvendas suæ exactionis expensas, & exactoris salaria, ex quo procedit, ut possit ab unoquoque solidum salarium exigi, si alii ad solvendum non sint idonei.

39 Declaranda tamen est ista resolutio (quemadmodum, & præcedens) ut tunc procedat quando Judex deputatus ad multorum exactionem simul & eodem tempore procedit, exercetque commissionem suam adversus omnes debitores; nam si diversis temporibus eorum obligationes exequatur, non poterit exigere ab uno salaria ejus temporis, quo adversus ipsum non processit; quoniam cum unus eorum non sit particeps culpæ alterius, aut obligationis alterius, non potest ab eo exigi salarium temporis, quod judex in altero exigendo occupavit, nisi simul illud occuparit in exigendo idoneo; tunc enim eo, quod sit obligatus solvere in solidum expensas temporis occupati in sua obligatione exigenda, & exequenda, si alterius exequutio concurrat cum sua justè exigitur ab ipso salarium solidum, quod idem posset ab ipso exigi, si adversus solum ipsum procederetur, argumento *l. ex par.* 40. *in principio*, *ff. famil. ercisc.*

31 Hinc colligitur manifestum discrimen inter duos casus supra propositos Primus est, quando idem Judex procedit adversus plures complices, unius & ejusdem obligationis civilis, vel criminalis. Secundus, quando procedit adversus plures obligatos separatim, & non participes unius & ejusdem obligationis, seu civilis, seu criminalis, sed qui per actus diversos, & separatos, facti sunt rei suarum obligationum. Nam primo casu, sive procedat Judex uno, & eodem tempore adversus omnes, sive diversis, semper exigit ab idoneo pro non idoneis. Ratio est, quoniam participatio in una, & eadem culpa, per se, & ex natura sua habet hunc effectum, eo quod in solidum obligat omnes delinquentes, & cum culpa una sit, & delictum unum, quilibet ex delinquentibus est reus in solidum, & videtur esse in causa, cur adversus omnes procedatur, juxta dicta à nobis supra, n. 20. & sequentibus. In secundo tamen casu, cum delicta sint multa, & divisa, & obligationes invicem separatæ, & unus delinquens, vel reus, non participet de culpa alterius, neque illam communicationem habet cum pœna ejusdem; per accidens tamen contingit, ut quia quilibet in solidum tenetur ad expensas sui processus, & uno, & eodem tempore fit processus adversus omnes, neque major est expensa plurium, quam unius; qualibet enim die constituitur Judici salarium mille maravedinorum, sive adversus unum, sive adversus multos procedat, quæ enim est taxa congruæ sustentationis Judicis; hinc oritur, ut si simul, & eodem tempore adversus plures reos Judex procedat, possit ab unoquoque solidum salarium exigere, & ab idoneo pro non idoneis. Cæterum si uno tempore adversus unum dumtaxat procedat, cum alter in nullo sit particeps, non poterit ab eo exigere salarium temporis, quod in ejus causa non occupavit. Quare cautus debet esse Judex, qui ejusmodi commissionem impetraverit, quoties unus ex reis sit non idoneus, non procedat adversus eum solum, neque in ejus solo processu aliquod tempus occupet, sed simul procedat adversus idoneos, ut possit ab eis salarium exigere suæ occupationis, alioqui si vel idonei prius puniantur, vel sua debita solverint, non poterit postea ab eis exigere salaria ejus temporis, quod post eos punitos, vel exactos, in causis non idoneorum occupaverit. Atque juxta istam resolutionem ego in dictis commissionibus semper practicavi; tametsi quæ difficilis visa fuerit superioribus res ista, primo aspectu ante visa fundamenta, postquam tamen rationem reddidi, cur juste fieri posset ista exactio, ab eis hactenus permissa fuit, & nullus deinceps fuit qui obloqueretur.

32 Observare tamen oportet hac in re, quoties contigerit uno loco esse multos debitores morosos, ob quorum negligentiam mitti solet exactor ad debita exigenda, sive à Regio consilio, sive à creditore privato, etiam si rigore juris attento possit creditor multos exactores designare, quorum singulis singulorum debitorum exactionem commendet; suggerente tamen æquitate unus dumtaxat exactor eligendus est ad ista omnia debita exigenda, ne debitores patiantur illud incommodum, quod oritur ex multorum exactorum salariis. Quod procedit ex iisdem fundamentis, quibus motus Senatus Pedemontanus decidit, plures consortes, qui à subditis exigunt census minutos, ratione feudi debere unum tantum exactorem deputare, cui solvantur, referente Gaspare Antonio Thesauro *libro* 1. *quæstionum forensium*, *quæst.* 19. cui consonat constitutio Anastasii Imperatoris *in leg. ultima*, *C. de ex actor. tribut. libr.* 10. quæ est una ex legibus recenter additis ad tres libros Codicis, in impressionibus novioribus, adversus exactorem multitudinum lata. Qua statuitur in singulas Provincias (nedum in singulas civitates) unum tantum ad exigenda debita exactorem mittendum, ne exactorum multitudo, & fisci rationibus, & Collatoribus damnum afferat, cui consonat de jure Neapolitano *pragmat.* 11. *capit.* 62. *de officio judicum*.

Sed adversus hanc resolutionem urget, quoniam vi- 33
detur adversari præcepto Regio, incluso in commissionis rescripto, quo jubetur iste judex dividere salarium inter multos reos, illudque exigere per partes, quo fit, ut singulos ex illis videatur dumtaxat tangere partis solutio, ac per consequens injuste totum exigetur ab eo, qui partem tantum debet.

Sed respondendum est primo, verba rescripti com- 34
missionis, in quibus agitur de percipiendo salario, nihil includere attinens ad partitionem ejus, sed simpliciter Judici assignare salarium mille nummorum, seu maravedinorum, & cuicumque officialium certam sui salarii quantitatem; post assignatum vero salarium subjungi verba, quæ agunt de salarii partitione, & divisione; sic enim fere dici solet, ut in meæ commissionis rescripto continebatur, *los quales dichos salarios cobrareis repartiendolos*, *&c.* Quæ verba referuntur plane ad exequutionem, seu exactionem: quo fit, ut locum habeat regula, quod verba, quæ referuntur ad exequutionem, non immutant dispositionem, quam tradit celebris textus *in clement.* 1. *de præbendis*, Bartolus *in l. Lucius*, *n.* 3. *ff. de aliment. & cibar. legat.* & *in l. inter stipulantem*, 83. §. *fucram*, *num.* 6. *ff. de verbor. obligation.* Alexander *in l. quæ dotis*, 34. *num.* 12. Jaso *num.* 41. *ff. solut. matrimon.* Decius *in l. non omnis*, *numero* 11. *ff si cert. pesat.* & *in l. de quæstione*, 30. *num.* 21. *C. de pactis*, Paulus Castrensis *consil.* 398. *num.* 3. 1. *part.* Covarruvias *in rubrica de testamentis*, 2. *part. num.* 38. *versic. tertia conclusio*, Joannes Garcia *de expens. & meliorationib. cap.* 4. *n.* 38. Riccius *decisionum collect.* 786. Ex quo infertur, si juxta jura, & æquitatem ipsam isti rei obligati sunt in solidum ad ista salaria solvenda, ut hactenus diximus, & conveniri possunt in solidum idonei pro non idoneis, hanc ipsam obligationem non esse immutandam ex verbis, quæ referuntur ad exequutionem ipsius, modumque exigendi, sed mansuram in suo eodem robore.

Secundo addendum est, verba illa, quæ pertinent ad 35
istorum salariorum exactionem, accipienda esse cum effectu, ut solent, & debent verba cujusque dispositionis, *lege quamvis*, *ff. de in jus vocando l. si per alium*, §. *docere*, *ff. ne quis eum*, *qui in jus vocat. est*, *vi exim.* Quare præceptum istud Regium circa modum exactionis, eo modo exequendum est, quo ejus exequutio sit possibilis, videlicet si omnes rei sint idonei, facta inter eos salarii divisione, alioqui solvendo non sint, fieri non potest, ut ei obtemperetur; & eo casu præceptum remittitur, & res temperatur, ut quoniam officiales sua salaria amittere non debent, in quorum exactione magis de damno vitando, quam de lucro captando certant, quippe cum salarium sit merces operarum, & laborum, quæ nemini denegari debet, §. *ne autem*, *in Authent. Judicibus*, *cap. Sacerdos*, 1. *quæst.* 2. imo denegare impietas esset, *l. quidem cum test amentum*, §. *illo*, *videlicet*, *C. de necess. servis hæred. inst.* animadvertit Hieronymus de Laurentiis *decis.* 121. *num.* 3. ea exigant, ut de jure possunt. Nam ubi ea forma, quam lex induxit, præcise impleri non potest ob contingens impedimentum, quod impossibilem reddat ejus observationem, illa remittitur, & actus aliter factus sustinetur, Romanus *consil.* 433. *num.* 5. Cravetta *cons.* 177. *num.* 5. qui multos adducit, Tiraquellus *de legib. connubial. gloss.* 6. *num.* 29. & 34. Rolandus *cons.* 81. *ex num.* 25. *volum.* 1. & *cons.* 43. *n.* 36. *volum.* 2. & *cons.* 30. *num.* 13. *volum.* 3. Rota Romana *in decisione coram D. Lita in causa Placentina*, quam refert ad verbum Garcia *de beneficiis*, *part.* 9. *cap.* 2. *num.* 90. *in principio*, Peregrinus Janinius *de citatione reali*, *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 190.

num. 190. 193. & 204. Itaque cum in istiusmodi commissionibus præcipitur salarium exigi, divisione facta inter reos, subintelligenda est conditio, si fieri possit, juxta Glossam notatu dignam *in cap. quemadmodum*, *verb. conditio*, *de jurejurand.* si vero id non possit fieri, & observata divisione exactio effectum non sit habitura, recurrendum est ad exactionem possibilem, & justam; neque credendum Principem velle fraudare officiales suos justa mercede operarum, & debito salario, contra justitiam, & pietatem, ad quod accipiendum, non eos habendi ducit cupiditas, sed cogit vivendi necessitas, *d. cap. Sacerdos*, sed præsumendum potius, eum velle ministros suos justa percipere emolumenta, si non possunt modo, quo jubentur, saltem quo licite valent.

36 Secundo, adversus prædicta opponi potest textus *in l.* 1. *& 2. C. si plures una sententia*, ubi multi condemnati ad solutionem certæ quantitatis manent obligati singuli pro virili, & unus non solvit, quod ab alio servari non potest, neque censendi sunt rei debendi, obligati in solidum ad eam solutionem; imo obligatio à principio est divisa. Igitur hoc casu, de quo agimus, idem dicendum est, nempe obligationem solvendo salaria à principio divisam esse inter istos reos, & unum non teneri pro alio, qui idoneus non est; siquidem clausula illa commissionis, quæ præcipit salaria ab istis exigi, est, veluti præceptum de solvendo quoad omnes illos, & quasi sententia condemnatoria, per quam damnantur ad expensas exactionis ob moram incursam, vel inquisitionis, & processus ob culpam commissam. Hujus tamen argumenti solutio pendet, & infertur ex resolutione octavi casus, quam mox subjiciemus.

37 Octavus casus est, cum multi sunt obligati ad solvendum salarium ex sententia: qui tamen, ut commodius resolvatur, subdividendus est in plures articulos. Aut enim multi, qui condemnantur ad solvendum salarium, condemnati sunt ad solvendum illud in solidum, quod Hispane dicimus; *estar en la sententia mancomunados para la paga:* aut condemnati sunt ad solvendum salarium simpliciter, non expresso, quod in solidum sint obligati ad solvendum.

38 Primo casu plane dicendum est, conveniendos esse multos istos reos, velut in solidum obligatos, ita ut si omnes possint satisfacere, debeat inter eos solutio dividi pro rata, sin minus conveniantur idonei pro non idoneis, quoniam cum effectum habet ista condemnationis forma, ut observarunt relati à nobis supra, n. 20. præsertim, Bovadilla *d. lib.* 2. *politicæ*, *cap.* 21. *n.* 251. cum multis, quos ibi congessit.

39 Secundus casus, pluribus adhuc modis potest contingere. Primo hæc condemnatio multorum simpliciter facta, ut solvant certam quantitatem salarii, fieri potest per præceptum de solvendo, in exequutionem obligationis præcedentis in solidum contractæ. Et hoc casu adhuc dicendum est, manere reos in solidum obligatos ad solvendam quantitatem contentam in præcepto de solvendo, ac per consequens teneri idoneum pro non idoneo; hæc enim est vis, & natura obligationis in solidum contractæ. Ita sentit Baldus *in dicta l.* 1. *num.* 2. *C. si plures una sententia*, cujus doctrinam sequutus est Senatus Neapolitanus apud Vincentium de Franchis *decis.* 680. & Riccius *collect.* 246.

40 Secundò, hæc condemnatio multorum, ut solvant certam quantitatem, seu ratione salarii, sive alicujus alterius obligationis simpliciter facta, fieri potest per sententiam diffinitivam, quæ lata sit in exequutionem obligationis pœnalis contractæ, ex maleficio, dolo, vel culpa, veluti si per statutum imposita esset certa pœna delictum aliquod perpetrantibus, & delinquentibus multis, Judex damnaret eos diffinitive simpliciter, ut solverent pœnam legibus statutam. Quo casu dicendum est reos, ita simpliciter damnatos, nihilominus teneri singulos in solidum ad solvendam pœnam, & quod consequens est idoneos pro non idoneis conveniri. Ita docet Baldus *in dict. l.* 1. *num.* 3. 4. & 5. *C. si plures una sententia*, & Salicetus *in eadem l.* 1. & quam legit sub *leg. ultim. C. de usur. rei judic. num.* 2. *vers. quæro tertio*, post Innocentium *in capit. constitutus*, *num.* 3. *de religiosis domibus*, Hieronymus à Laurentiis *decis.* 112. Ursillus *ad Afflictis decis.* 215. *num.* 1. & ita in hoc casu, & præcedenti limitanda est *d. l.* 1. *C. si plures una sententia*.

41 Tertio, hæc sententia diffinitiva condemnatoria multorum simpliciter lata, esse potest in exequutionem obligationis non ortæ ex maleficio, & quæ à multis contracta fuerit, non in solidum, sed pro virili. Quo casu plures isti rei condemnati exiguntur dumtaxat pro virili, & non in solidum, & unus non debet, quod ab alio non potest exigi, quia obligatio à principio est divisa, ut in simili superius probavimus n. 6. & 22. aperte deciditur *in d. l.* 1. *& in l. legatorum*, *in princip. ff. de legat.* 2. *& in l. solent*, *in fine*, *ff. de alim. & cibar. legat.*

Quarto, sententia ista diffinitiva simpliciter lata con- 42
tra plures reos super obligatione civili contracta ab omnibus in solidum producit ex se, & natura sua actionem judicati adversus omnes, non quidem in solidum, sed pro virili: ac per consequens si actor conveniat istos reos ex actione judicati, orta ex sententia, & obligatione eidem actioni correspondenti, non potest eos convenire in solidum, sed pro virili; ut dicit textus *in dicta lege* 1. & ibi Doctores, *& in l. Paulus*, 43. *ff. de re judicat. & in l. si qui separatim*, §. *quoties*, *ff. de appellation.* Afflictus *decis.* 215. Grammaticus *decis.* 68. *num.* 9. Boerius *dec.* 59. *n.* 8. Flaminius Cartarius *dec.* 28. Giurba *dec.* 46. *num.* 1. *& sequent.* Abbas Panormitanus *cons.* 33. *num.* 8. *lib.* 2. Quam tamen resolutionem limitandam docet Peguera *decis.* 181. post Zasium *in dicta l. Paulus*, i sententia lata super individuis, ut super hypotheca bonorum contracta à pluribus, quem sequitur Riccius *dicta collectan.* 246. Giurba ubi supra, num. 5.

Quinto, fieri potest, ut post latam sententiam diffini- 43
tivam simpliciter contra plures reos in solidum obligatos obligatione civili, actor non utatur actione judicati orta ex sententia, sed velit eos convenire vi actionis primitivæ in judicium deductæ, quæ oritur ex obligatione solidi. Et eo casu potest quilibet reus conveniri in solidum sine metu exceptionis rei judicatæ; ut *in dicta leg.* 1. notat Glossa *in verbo*, *virilibus*, *in fine*, quam sequuntur ibi Doctores communiter, Bartolus, Baldus, Angelus, Salicetus, Paulus, Bovadilla *libr.* 2. *politicæ capit.* 20. *num.* 58. alios refert Scipio Rovitus *consil.* 58. *ex num.* 2. *lib.* 2. post hæc scripta editus, qui nihil resolvit. Quæ nostra resolutio ex eo plane confirmatur, quod non solet esse deterior conditio eorum, qui actionem suam in judicium deduxerunt, quam si non deduxissent: per judicium enim potius melior redditur actio litigantium, quam deterior fiat, *l. aliam*, 29. *ff. de novationibus*, *l. non solet*, 87. *l. nemo*, 88. *ff. de regul. jur.* notant Doctores istis locis, & in *l.* 1. *C. de judiciis*. Si igitur actori ante cæptum judicium licebat singulos reos in solidum convenire, & ab idoneis debitum suum pro non idoneis exigere, cur id post sententiam latam negandum erit, nisi per judicium juris ejus conditio deterior facta fuerit? Ex quibus constat expositio *dictæ leg.* 1. & solutio difficultatis à nobis propositæ superius, num. 36.

An vero in quolibet ex istis casibus, quibus superius 44
diximus, multos reos esse in solidum obligatos, concedendum sit illis beneficium divisionis, si cæteri sint solvendo; & postquam alii pro aliis solverunt, solventibus competat beneficium cessionis, & utilis actionis, quo possint recuperare portionem pro aliis solutam; difficultas est, quæ longiorem postulabat sermonem. Sed ne videamur per negligentiam, quod ad hoc attinet, omisisse, distinguendi sunt duo casus. Primus est, cum obligatio est civilis orta ex contractu, vel quasi, sive sit primitiva, sive secundaria, & non orta ex delicto, aut quasi delicto. Quo casu in universum dicendum est, multis reis indulgeri beneficium divisionis, ne conveniantur nisi pro rata, *Authent. hoc ita*, *C. duobus reis*, *leg.* 10. *titul.* 12. *par.* 5. Idque dummodo cæteri sint idonei, ut jam animadvertimus supra num. 9. Quo eodem casu solventibus conceditur etiam beneficium cessionis, & utilis actionis, per quam consequantur, quod pro aliis solverunt, *l.* 1. *C. de duobus reis*, & ibi notant Doctores, *& in l. Modestinus*, *ff. de solutionibus*.

Secundus casus est, cum obligatio est criminalis orta 45
ex delicto, vel quasi delicto, ex dolo, aut culpa dolo simili. In quo, si agamus de beneficio cessionis, & utilis actionis, universim dicendum est, hoc beneficium denegari solventibus ob proprium delictum, & culpam, ne quid consequantur à cæteris doli participibus. Textus est notatu dignus *in lege* 1. §. *nunc tractemus*, *versic. plane*, *ff. tutel. & ration. distrahend. Plane si ex dolo communi conventus præstiterit tutor*, *neque mandandæ sunt actiones*, *neque utilis competit*, *quia proprii delicti pœnam subit*, *quæ res indignum eum facit*, *ut a cæteris quid consequatur doli*